

Quercinarum, et 9 florenis a Centenario Pellium Leporinarum, deinceps admittatur. Caeterum Regulatio Vectigalium ultro etiam ad Financialium Dicasteriorum Sphaeram et activitatem pertineat, ab iisdemque, ea tamen ratione suscipiatur, ut quoties illa elevanda aut diminuenda viderentur, instituendam hanc Vectigalium Alterationem Cancellariae Nostrae Regiae Hungarico Aulicae praevis communitcare, et cum eadem parem in hoc merito, quae antea cum Commerciorum Consilio observata fuerat, cointelligentiam fovere teneatur.

Atque in his explicitam Benignam Mentem ac Resolutionem Nostram Regiam, quemadmodum grato suscepturos animo Regnicolas plene confidimus, ita Dilectioni ac Fidelitatibus Vestris haec ipsa pro congruo notitiae Statu suique directione significantes, una clementer mandamus, quatenus tam reincorporationem Districtus hujus Fluminensis praefato Regno Nostro Croatiae, quam vero officii Gubernatorialis et ratione manuducendi, facilitandi ac provehendi Commercii Flumine Constitutionem, et tam pro hoc Gubernatoris, quam vero Supremi Comitatus Neo-efformandi ex hoc Districtu Comitatus Severinensis Officio Clementissimam in Personam antelati Egregii Fidelis Nostri Josephi Majláth de Székhely Nominationem sine etiam et scopo illo, ut in Commerciis Partem habentes et Trafficientes Regnicolae sese dirigere, et quonam se in hoc, Commercii videlicet passu convertere possint, scire valeant, circulariter publicare noverint. Quibus in reliquo Gratia &c. Datum Viennae die 9. mensis Augusti, Anno 1776.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Esterhazy m. p.

Ferdinandus Scultety m. p.

(L. S.)

In Archivo Regni Croatiae. Acta Consilii Croatici, Anni 1776, N. $\frac{4447}{3936}$.